

tales actiones ad tale meritum? Nam intentio illa Christi offerentis suum meritum pro hoc vel illo, et ad hunc vel illum effectum, quasi extrinsece comparatur ad meritum, et operis dignitatem non auget; nam in se æqualis valoris est opus, licet absque illa intentione fiat. Unde illa intentio solum est veluti proxima applicatio operis meritorii ad talem personam vel effectum, sine qua applicatione absolute non esset meritorium ejus: ergo simili modo, vel potiori ratione esse poterit necessaria ex parte Dei determinatio talis præmii, ut opus actu esse possit meritorium ejus, nam totum hoc negotium magis pendet ex voluntate Dei, quam ex quacumque voluntate creata, etiam Christi, nam voluntas etiam Christi habet pro regula divinam voluntatem, et ideo Christus sua merita pro hoc vel illo offerēbat, quia divinæ ordinationi aut voluntati id consentaneum esse sciebat.

12. *Ratio.* — *Exemplo exponitur ratio.* — Alio item modo explicari potest necessitas hujus determinationis, quia, licet opera procedentia a gratia habeant ex virtute gratiæ quamdam proportionem cum gloria, nihilominus ex sola rei natura non potest intelligi sufficiens determinatio, quæ semper in particulari necessaria est ad rationem meriti et præmii, et præsertim quoad omnem modum de facto in nostris operibus inventum. Declaratur hoc imprimis ex rebus et actionibus humanis. Nam res inter homines venales, seclusa lege taxante pretium, nunquam habent ex sola rei natura, vel communi æstimatione, justum pretium omnino determinatum, et indivisibile, sed cum aliqua latitudine, quam per voluntatem contrahentium determinari necesse est. Et similiter si labores militum in prælio non habeant ex lege aliquid certum præmium statutum, non poterit ex sola qualitate, vel conditione operum, præmium æquale indivisibiliter illis præscribi, et ideo arbitrio principis determinari oportet. Sic ergo cum in præmio gratiæ vel gloriæ varii sint gradus, quamvis opera gratiæ generatim habeant proportionem cum illo præmio, non est verisimile quod ex sola rei natura illa proportio sit ita indivisibilis ac determinata, ut tale opus sit dignum tantæ gratiæ vel gloriæ, ut Deus, etiamsi velit, non possit majus vel minus conferre, servata condignitate; sed longe verisimilius est in illa condignitate esse moralem latitudinem, intra quam possit opus ad majus vel minus præ-

mium ordinari, salva morali æquitate; ergo, cum certum sit omnia hæc esse de facto in certo pondere ac mensura definita, non possumus hoc tribuere soli naturæ operum absque præordinatione divina. Potestque hoc explicari ex multis dubiis, quæ a Theologis de augmento moventur, ut, verbi gratia, an actus æquales habitui gratiæ mereantur augmentum ejus; nam, si ad conditionem talis operis respiciamus, neutrum potest ex sola rei natura determinari; nam, secundum quamdam considerationem, vel physicam, vel etiam moralem, videtur talis actus non habere proportionem cum augmento; secundum aliam vero, quia est novum opus et novum obsequium, illam habere videtur; ergo necessaria est institutio Dei, quæ certum aliquid statuatur. Idem est de illa questione, an soli actus elicitus a charitate mereantur præmium essenziale, vel etiam actus aliarum virtutum. Item an hoc meritum sit secundum totam latitudinem actus, et ad æqualitatem omnium graduum, vel secundum aliquem excessum, aut aliam proportionem, et qualis hæc sit in operibus magis vel minus perfectis in specie in ordine ad idem præmium essenziale, et aliis similibus. Quamvis enim certum sit hæc omnia esse definita in mente Dei, non est autem verisimile illud esse per solam scientiam intellectus, quæ in ipsis operibus omnia illa, tanquam ex natura rei definita, intueatur, sed in voluntate sua, certum et definitum modum ac mensuram præmii ac meriti in omnibus illis circumstantiis constituyente.

13. *Quinta ratio.* — Ultimo probari potest assertio ex generali ratione præmii et meriti; nam ratio, quam inter se dicunt, non fundatur in sola dignitate operis, vel rei quæ in præmium designatur; nam, licet hæc supponenda sint tanquam fundamenta remota illius relationis, nihilominus non sufficiunt ut relatio insurgat, sed requiritur, quasi proxima ratio fundandi, aliqua lex, vel pactum inter merentem, et præmiantem; nam illa relatio non est rei, sed rationis, vel (ut proprius dicam) non est physica, sed moralis, et ideo fundamentum morale proximum requirit ut insurgat, quod non potest esse aliud, nisi vel pactum, vel lex habentis potestatem. Quod ex rebus humanis declaratur, sicut Paulus rem hanc declarat prima ad Corinth. nono, dicens: *Nescitis quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium; et subdit: Sic currite, ut*

*comprehendatis*; in illo enim exemplo humano a Paulo proposito, neque in cursu posset intelligi ratio meriti, neque in alia re proposita ratio bravii, nisi publica lege vel pacto esset certamen illud propositum, et talis res destinata in præmium velocius cursus. Ita ergo voluit Paulus explicare nobis merita apud Deum. Similiter in republica humana, videmus quædam esse bona destinata in præmia militum, et alia in præmia litteratorum, etc., et e contrario unam actionem esse destinatam ad obtinendum unum præmium, et aliam ad aliud, et sine hujusmodi ordine nullum intelligi proprium meritum, quod quidem non oritur ex aliqua imperfectione humana, sed ex generali ratione meriti, quæ moralis est, et hujusmodi fundamentum et determinationem requirit.

14. *Objectio.* — *Solutio.* — Dices: opus bonum, eo ipso quod est utile reipublicæ vel cedit in obsequium alterius, est meritorium præmii ex natura sua, juxta doctrinam D. Thomæ 1. 2, q. 21, art. 3 et 4; ergo non est necessaria alia positiva lex ad rationem meriti, unde in quavis republica bene instituta studiosi censentur digni præmio. Quod si illud non sit lege præscriptum, ad gubernatorem reipublicæ pertinet illud justo arbitrio determinare et conferre; ergo, ex generali ratione meriti, nulla videtur necessaria positiva præordinatio; ergo nec in merito apud Deum erit necessaria. Respondetur bonum opus absolute spectatum, quia in se bonum et rectum est, de se non mereri aliud præmium præter laudem, ut D. Thomas in citato loco, art. 2, cum sequentibus sentit. Si autem consideretur opus bonum, ut alteri aliquo modo proficuum, sic habet quidem aliquam rationem meriti. Verumtamen, si nulla præordinatio et designatio certi præmii antecedat, ex hac parte imperfecta est ratio meriti, et diminuta circa illud providentia, quod in meritis justorum admitti non potest. Et deinde si commoditas boni operis sit respectu privatæ personæ, et ex solo arbitrio operantis fiat, ad summum merebitur recompensationem aliquam beneficii ex gratitudine, non vero propriam retributionem per modum præmii, vel mercedis; hic autem modus recompensationis non habet locum in Deo, ut infra dicam. Si vero bonum opus cedit in utilitatem reipublicæ et boni communis, tunc aliqua major ratio meriti intercedit, etiamsi positiva et particularis lex ejusdem reipublicæ designantis definitum præmium non præ-

cedat, quia sufficit illa æterna lex (ut loquitur Augustinus, 1 de Liber. arb., c. 6), quæ docet expedire in republica bene instituta, ut præmia bene operantibus in obsequium reipublicæ tribuantur. Unde gubernator reipublicæ ex vi sui muneris ad hujusmodi retributionem tenetur, et optima gubernatio postularet ut hoc esset in particulari præscriptum ac determinatum. Quod autem non ita fiat, imperfectionis est. Et ideo in ordine providentiæ divinæ, et ad perfectam rationem meriti, vel præmii apud Deum, qui nulla lege obligatur, necessaria fuit peculiaris determinatio libera voluntatis ejus, per quam certus modus, et ordo meritorum et præmiorum præscriberetur, quod ex dicendis in capite sequenti magis confirmabitur.

15. *Ad fundamentum primæ opinionis in num. 3.* — Ex his facile est respondere ad fundamenta aliarum opinionum. Ad prioris opinionis fundamentum respondetur, quamvis verum sit impositionem principis determinare valorem rei, aut monetæ, non fieri tamen sine aliqua proportione et æquitate, considerata qualitate rei vel operis, ut ex eisdem exemplis humanis, quæ ibi adducuntur, manifestum est; ita ergo dicimus in merito apud Deum, ut perfectum esse intelligatur, supponi proportionem ex parte operis, et adungi quamdam determinationem, seu destinationem præmii ex parte Dei. Non dicitur autem proprie opus accipere dignitatem vel valorem ex extrinseca ordinatione Dei, quia illa extrinseca ordinatio non est circumstantia, vel objectum operis, sed proprie dicitur determinari valorem, vel dignitatem ejus, ut de facto sit meritum hujus præmii, et ad illud conferat aliquod jus, ut paulo post dicemus. Potestque explicari ex habitudine medii ad finem. Nam licet fides, verbi gratia, de se sit aptissimum medium ad beatitudinem, tamen de facto, ut sit medium necessarium, oportet ut a Deo fuerit sub ea ratione peculiariter ordinatum. Imo universaliter loquendo, licet aliqua actio sit de se aptum medium ad aliquem finem, non habet actualem rationem medii, nisi ad illud actu ordinetur, seu eligatur, quamvis per illam electionem non accipiat proportionem ad finem, vel virtutem comparandi illum, sed moralem quamdam habitudinem ad illum. Ita ergo opera justorum per ordinationem divinam non accipiunt proportionem, vel dignitatem, sed moralem habitudinem ad tale præmium, tanquam ad mercedem.

16. *Ad fundamentum secundæ opinionis in num. 4 et 5.* — Ad fundamentum alterius sententiæ, quatenus probat meritum justorum ex intrinseca natura gratiæ habere aliquem ordinem ad præmium gloriæ, illud admittimus; quatenus vero excludit necessitatem alterius ordinationis providentiæ Dei, respondemus negando primam consequentiam, quia, licet divina ordinatio non addat operi bonitatem, nec proprium valorem intrinsecum, nihilominus addit peculiarem habitudinem ad præmium, quæ necessaria est ut opus, de se proportionatum tali præmio, esse possit actuale, et determinatum meritum ejus. Unde ad alteram partem de absoluta potentia, respondemus, quamvis non possit fieri quin opus bonum ex gratia factum sit de se proportionatum præmio, et aptum ad merendum illud, si ad id ordinetur, nihilominus posse fieri ut illud de facto non mereatur, quia non est per divinam ordinationem in statu merendi constitutus, neque positus ad currendum in stadio, ut sic dicam, et supra in Elia et Enoch explicavi, et familiari exemplo declarari potest. Nam poema, verbi gratia, optime compositum, æqualis ingenii aut artis est, sive fiat extra occasionem certaminis, sive tempore certaminis, et propositis præmiis, et nihilominus, sub hac lege factum, est meritorium præmii, non vero absque illa. Ita ergo in proposito de meritis apud Deum censemus. Ad ultimam vero partem de comparatione peccatorum, et bonorum operum quoad meritum et demeritum, negamus similitudinem; in quo autem disparitas sit, in capite sequenti explicabimus.

## CAPUT XVIII.

UTRUM DE NECESSITATE MERITI DE CONDIGNO APUD DEUM SIT, UT IN PROMISSIONE DEI SUB CONDITIONE OPERUM FUNDETUR?

1. *Ordinationem et promissionem cur distinguamus.* — Hæc quæstio adeo est affinis præcedenti, ut ab auctoribus non distinguantur, nam qui negant necessitatem divinæ ordinationis, a fortiori negant necessitatem promissionis, quia promissio intrinsece ordinationem includit; e contrario vero, qui divinam ordinationem seu acceptationem necessariam existimant, sub illa promissionem includere videntur, vel quia non loquuntur de acceptatione, ut sic dicam, subsequente

ad opus, nam hæc non facit opus meritorium, sed supponit, sed de antecedente, quæ non potest esse, nisi vel voluntas, vel promissio acceptandi opus, si fiat; vel etiam quia ordinatio ad præmium nihil aliud est quam lex veluti cujusdam certaminis, præmiis propositis; hæc autem lex non videtur posse intelligi sine promissione dandi præmium operanti, juxta conditiones propositas in lege certaminis. Et revera moraliter ita esse videtur, quod hæc duo non separantur; nihilominus tamen, quia in rigore promissio addit aliquid, ut supra dixi, et habet peculiarem rationem dubitandi, et hoc tempore est specialiter controversa, ideo pauca de illa addenda sunt.

2. *Primum fundamentum pro parte negante. — Secundum.* — Quod ergo talis promissio necessaria non sit, ut aliqui auctores moderni defendunt, suaderi potest primo, quia talis promissio non est de ratione meriti in communi, id est, ut abstrahit a merito apud Deum vel apud homines; ergo neque est necessaria in merito de condigno apud Deum. Probatur consequentia, quia nulla specialis ratio in merito apud Deum assignari potest. Antecedens probari potest inductione in merito apud homines, quia, licet ego nihil promiserim benefactori meo, nihilominus beneficiis in me sponte collatis aliquid a me promeruit. Et membra reipublicæ, illam voluntarie defendentes, vel alio modo juvantes, bene de illa ac de ejus principe merentur, etiamsi pactum vel promissio non antecesserit; idem ergo erit apud Deum. Et ratio reddi potest, quia beneficium vel obsequium ex vi sua inducit aliquam obligationem retributionis, etiamsi promissio non præcesserit. Secundo, si ob aliquam rationem esset necessaria hæc promissio, maxime ut per meritum acquireretur jus justitiæ ad præmium ex parte merentis, et in præmiante obligatio justitiæ ad illud reddendum; sed hoc titulo non solum in merito apud Deum non est necessaria promissio, sed etiam illi repugnat, quia talis obligatio non esset sine imperfectione, et quasi subjectione Dei ad creaturam; ergo.

3. *Tertium.* — Tertio, quando promissio requiritur ad meritum, necessarium est ut innotescat his, qui merituri sunt præmium, alioqui nihil potest eorum voluntatem immutare, neque aliquam moralem conditionem operibus eorum tribuere, ut etiam inter homines in exemplo sæpe posito de operantibus pro-

pter bravium obtinendum videre licet; sed ad merendum de condigno coram Deo, non est necessaria cognitio talis promissionis, nam multi sunt justii simplices, qui illam ignorant, et nihilominus suis operibus vitam æternam merentur. Et præterea perinde est illam non considerare, ac illam non cognoscere; sæpissime autem operantur justii etiam sapientes et perfecti sine ulla advertentia talis promissionis, neque propterea minus digne merentur; ergo signum est non esse necessariam talem promissionem.

4. *Quartum. — Quintum.* — Quarto, urget etiam hic ratio supra facta, quod opus non fit dignius aut majoris valoris propter promissionem, sed dignitatem supponit, et solum præbet majorem securitatem præmii, unde solum se tenet ex parte operantis quem obligat; ergo ex parte merentis necessaria non est. Quinto, hoc etiam confirmat comparatio facta inter meritum et demeritum; nulla enim promissione seu comminatione obligatur Deus ad puniendum hominem, si peccaverit; potest enim, si velit, gratis remittere totam pœnam, et nihilominus homo peccando de condigno meretur illam. Et in hoc exemplo cernitur major ratio, nam in peccatis sine dubio peculiari providentia ordinavit pœnas peccatorum deputando talem speciem pœnæ pro tali peccato, et aliam pro alia, et magis vel minus gravem, servata proportionem, juxta consilium sapientiæ et voluntatis suæ, et nihilominus propriam promissionem non adjunxit, quia necessaria non erat; ergo non est cur in bonis meritis sit necessaria talis promissio.

5. *Communis sententia affirmans.* — Nihilominus communis sententia Theologorum est, ad meritum de condigno apud Deum, necessarium esse ut præcedat promissio divina facta tali operi, vel (quod idem est) homini sub conditione talis operis. Quam tenent Scotus, et alii allegati in capite præcedenti in opinione prima, qui fere omnes in hoc excedunt, quod solam promissionem putant sufficere ad meritum de condigno, etiamsi in opere secundum se spectato nulla dignitas vel proportio cum præmio supponatur, præter honestatem moralem, ad summum liberam. In quam sententiam inclinare videtur Scotus ibidem allegatus, quamvis nunquam satis expresse cum exclusionem loquatur. Nos autem, sicut ibi diximus, ad ordinationem divinam, supponendam esse proportionatam dignitatem in opere, respectu præmii, ut possit esse proprium ejus meritum de condigno, ita a fortiori

ri nunc supponimus non sufficere solam promissionem, nisi in opere similem capacitatem seu fundamentum supponat, nam rationes ibi factæ non minus hoc probant. Et exemplum de remissione peccatorum id convincit, nam illa promissa est sub conditione alicujus operis, quod nihilominus propter aliquem defectum dignitatis vel proportionis non est meritorium ejus de condigno. Et infra, agentes de merito de congruo, ostendemus vel semper vel sæpe fundari in promissione, et nihilominus esse distinctum a merito de condigno; ergo signum est promissionem non sufficere ad specificam rationem, ut ita dicam, meriti de condigno. Et simile argumentum ex impetratione orationis sumi potest; fundatur enim maxime in promissione, et nihilominus non semper est meritoria de condigno rei postulata.

6. *Probatur auctoritate Scholasticorum.* — Hoc ergo supposito fundamento, pro hac sententia de necessitate promissionis merito allegari potest D. Thomas, dicta quæst. 114, artic. 2, quamvis ibi non promissionis, sed ordinationis nomine utatur; in artic. autem 3 ostendit in operibus esse condignitatem ratione gratiæ; in articulo vero 2 utrumque ponit, scilicet, et præordinationem divinam, et proportionem operis; tamen sine dubio loquitur de præordinatione quæ promissionem includit, nam, ut dixi, moraliter non separantur, et statim ostendam hanc præordinationem divinam non aliter esse factam; et lect. 3 ad Hebr., dicit meritum condigni inniti justitiæ; hæc autem sine promissione intelligi in Deo non potest; et ita sentiunt ex mente D. Thomæ Conradus, Medina et alii moderni ibi, et idem sentit Capreolus in 2, d. 17, artic. 3, ad 8 et 9, ubi ad hoc meritum requirit legem divinam justam de reddendo præmio, quam non sit fas violare, et per illam dicit compleri rationem meriti. Imo etiam Soto, libr. 2 de Natur. et grat., capit. 4, licet dicat Deum non esse debitorem proprie, nihilominus ait nostrum meritum esse de condigno apud Deum, quia legem statuit certissimam, ut jussa sua facientibus præmium retribueret; hujusmodi autem lex sine dubio promissionem includit, vel idem est quod promissio. In quo videtur non consequenter loqui ad ea quæ capite præcedenti citavimus, nisi explicetur, ut in alio loco libr. 3 ejusdem operis non excluserit ordinationem, vel acceptationem Dei, nisi quatenus illa ab aliis postulatur ut sufficiens, sine proportionem operis,